MAGISTRI

JOHANNIS

DE

BADO AVREO

TRACTATUS

DE ARMIS;

CUM

Franciſco de Foveis.

Londini, Typis *R. Norton*, 1654.

MAGISTRI

JOHANNIS

DE

BADO AVREO

TRACTATUS

DE ARMIS;

CUM

FRANCISCO de FOVEIS.

QUoniam de armis multociens in clipeis depictis ſingula diſcernere & deſcribere inveniatur difficile, ad inſtantiam igitur quarundam perſonarum, & ſpecialiter Domine *Anne* quondam Regine *Anglie* hunc libellum compilavi, ſequens in parte dogmata ac traditiones excellentiſſimi Doctoris & Preceptoris mei magiſtri *Franciſci de Foveis*, omnipotentis Dei nomine primitus invocato ſub hac forma procedam

Primo ponam differentias colorum, & quis ipſorum dignior vel nobilior inveniatur.

Secundo qualia ſigna in armis portanda ſunt, & qualiter, ac quid per ipſa ſigna repreſentatur.

Tertio & ultimo pandam quomodo ſcietur per quantum arma vel inſignia habita diſtent a primo aſſumente.

ET PRIMO pro nobilitate colorum diſcernenda quis ipſorum nobilior dicatur, Premitto primo notata Domini *Bartholi* in ſuo tractatu de armis pingendis circa medium, & illa que notantur per Philoſophum in libro *de ſenſu & ſenſato* per totum, ubi dicitur, *Omnis color mundi dicitur nobilior vel inferior duobus modis, aut color dicitur nobilior ſecundum ſe, aut ſecundum quod magis participat de albedine vel minus.* Et ſi primo modo loquamur de cõloribus, verum eſt, quod non ſunt plures colores quam duo, ſcilicet ALBUS COLOR ET NIGER, ſed omnes alii cõlores fiunt & deſcendunt ex ipſis, ut plene notatur per ipſum Philoſophum in libro ſuo *de ſenſu & ſenſato*. Corrige tamen Dominum *Bartholum* in grammatica, qui dicit quod color niger eſt viliſſimus, cum ad poſitionem gradus ſuperlativi requi untur tria ad minus, quare dic, ut dicit magiſter meus *Franciſcus*, quia in armis duo colores principales inveniuntur ſcilicet ALBUS ET NIGER, & omnes alii colores artificialiter fiunt ex illis, ut AZORIUS COLOR, AUREUS, ET RUBEUS. Et ratio quare ego premitto colorem azorium aliis, quia color ille ex commixtione colorum albi cum nigro reſultat non alia data opera; ſed alii colores ex pluribus materiebus albis & nigris una cum operatione ignis vel aque fiunt & ſuam recipiunt claritatem. De quibus coloribus omnibus & eorum rationibus currente ſtilo tractabo.

De Colore albo.

COLOR autem ALBUS ideo dicitur nobilior, quia poteſt in loco diſtantiori & remotiori percipi & videri, ut cotidie videmus. Item, quia per colorem album lux deſignatur, & contrarium lucis ſunt tenebre que nigredinem ſignificant, ergo illud quod per tenebras deſignatur non eſt ejuſdem valoris cum albedine. De iſto eſt Dominus *Bartholus* in tractatu ſuo de armis pingendis, in effectu

effectu, & concordat cum eo commentator *Averoys* in libro *de ſenſu & ſenſato.*

De Colore azoreo.

COlor autem proximus, ut dixit magiſter meus *Franciſcus*, eſt COLOR AZOREUS, quia per ipſum repreſentatur nobilis aier, qui equale eſt receptaculum tam lucis quam tenebrarum, & eſt color medius primus.

De Colore aureo.

INter colores autem medios ſecundus eſt COLOR AUREUS, quià aurum ab aura eſt dictum, ut dicit *Yſidorus* libro xvi. eo quod ex repercuſſione aure plus refulget. Naturale enim eſt ut metallorum ſplendor plus ſplendeat luce alia repercuſſus. Inter que metalla plus ſplendet aurum ab aura repercuſſum. Color itaque aureus ideo nobilior dicitur, quia colorem Solis repreſentat, & per Solis virtutem in minera generatur. Color iſte tamen non eſt tanti valoris quanti eſt color albus, ſed ab illo colore ſcilicet albo, lucem ſuam eſſentialiter capit & claritatem, ut ſufficienter patet per premiſſa. Cum iſto concordat *Bartholomeus* de proprietatibus rerum, in capitulo ſuo de auro. Et ſi volueris argumentari dicendo, quod hoc aurum eſt metallum nobiliſſimum, ergo ſic ejus color. Ad hoc reſponde, ut reſpondit *Bartholomeus* de proprietatibus rerum, in capitulo ſupradicto, dicens, quod plus de argento vivo quam de ſulphure albo ad compoſitionem auri recurrere conſuevit; quare dico, quod ex ipſis materiebus albis aurum capit ſuam ſoliditatem, & etiam nobilitatem. Concordat cum *Bartholomeo Ricardus Rufus* qui multum tractavit de metallis.

De Colore rubeo.

COLOR autem RUBEUS est color medius ab extremis albedinis & nigredinis equedistans, qui in superficie corporis perspicui resultat per incorporationem dati luminis ignei atque puri, & ideo intense rubium admodum lucidi disgregat visum, nec aggregat sicut nigrum: propter quod pannorum venditores pannos suspendunt rubeos ante lucem, ut videntes alios pannos coloratos propter nigredinem & rubedinem spiritum visibilem disgregantem quo minus valent colorum discernere veritatem. De isto notatur per commentatorem *Averoys* in libro *de sensu & sensato*, quem etiam colorem nemini licet portare sine Principis licentia speciali, nisi soli Principi ut notatur *C. de vest. Olobriis l. iij. & li temperentur & C. que res vendi non possunt l.* 1. *& ij.* & huic Constitutioni contravenientes capite puniuntur, *ut in fine ipsius legis iij. C. de vest. Olobriis & C. de offic. Comitis sacrarum largitionum l.* 1. Et ratio est, quare iste color magis attribuitur Principi quam alius color, ut albus & niger, azorius vel aureus, quia iste color significat ferocitatem vel fortitudinem, & Principes in correctionibus, & contra inimicos essent feroces vel fortes jam illis hic color attribuitur ut inferius dicam.

De Colore viridi.

QUidam addunt alium COLOREM, scilicet VIRIEDM; qui color, ut ego credo, initiū habuit ab aliquo milite histrione vel gaudēte, qui nobiles non sunt, ut dicit dominus *Bart. C. de dignitatibus l.* 1. circa medium tractatus sui. Sed quia in quorundam armis Dominorum in *Anglia* ille color non invenitur, reprehendendo in nostrum libellum ipsum colorem admisimus. Et pudor causam prestat; Nam ne vereamur cum colorem ipsum in armis videremus ipsum discernere non valentes. Et ratio est, quia antiqui ipsum colorem inter colores Armorum non

non admiſerunt,quia videbatur illis abſurdum & inconveniens dicere, quod quis deberet dare differentiam triplicem colorum ſic dicendo, Colorum quidam ſunt principales ſecundum ſe, quidam ſunt colores medii, & quidam ſubmedii. Colores principales ſecundum ſe ſunt color albus & niger. Colores vero medii ſunt azorius, aureus & rubeus. Colores autem ſubmedii ſunt color viridis & alii ſimiles ſi inveniantur. Et ratio mea eſt quare dico illum colorem ſubmedium, quia non poteſt aliquo modo fieri ex duobus coloribus principalibus, ſcilicet albo & nigro, ſed fit duntaxat ex duobus coloribus mediis, ſcilicet ex colore azorio & aureo adinvicem mixtis: quamobrem non poteſt vocari color medius, colores medii fiunt per mixtionem aliorum duorum principalium colorum; ſic non ille, ergo non debet vocari color medius ſed ſubmedius.

Jam proximum eſt, ut videamus de rationibus probantibus unum colorem eſſe alio meliorem.

Et primo dicendum eſt, quod color albus dicitur melior propter tres rationes.

Prima eſt hec, quia color ille poteſt mutari in omnes colores medios & ſubmedios.

Secunda ratio eſt,quia non poſſumus dare contrarium directum alicujus alterius coloris niſi ipſius, vel econtra. Et ſi quis quereret quid eſſet contrarium coloris albi, ſtatim reſpondere poſſimus quod color niger eſt ejus contrarium, ſic non poſſimus reſpondere de aliquo colore medio. ergo neque ſubmedio.

Tercia ratio eſt,quia color ille, qui poteſt a loco remotiori facilius concipi quam aliquis alius color, eſt nobilior & principalior, ſed hujuſmodi eſt color albus; ergo color albus eſt color principalis & inter omnes alios dignior,& iſte due rationes ſecunde, ſunt rationes Philoſophice in loco ſuperius allegato de ſenſu & ſenſato. Et de prima ratione eſt textus, & conc. *Acurſii* in le. iij. C. de veſt. Olob. Et patet per *Bartholomeum de proprietatibus rerum* in capitulo *de coloribus*, ubi dicitur, In nullo etenim colore melius fundantur colores medii quam in albo, & quanto album eſt intenſius quod ſubſtituitur, tanto adheret fortius

color

color qui ſuper inducitur, ſive ſit nigredo, ſive pallor ut color azorius, ſive candor ut color aureus, ſive rubedo fuerit.

De Colore nigro.

COLOR autem NIGER eſt privatio albi, ſicut amarum eſt privatio dulcedini. Unde dic quod albedo eſt prima omnium colorum, ſicut principium ſaporum eſt dulcedo, ut dicit *Ariſtoteles* de ſenſu & ſenſato libro xix. & ſequitur ibi. Color niger nihil aliud eſt quam privatio albedinis, & ideo nigredo eſt ſpecies viſibilis aggregativa, & ejuſdem repercuſſiva, propter quod ledit viſum quando nimis eſt intenſa, ut patet de diu incarceratis qui de carcere exeunte, parum vident, de iſtis notatur per *Boet.* in ſuis topicis, in capitulo iiij in illa Regula; *Quando unum contradictorium eſt verum, reſiduum eſt falſum*, quare concludo, quod color niger eſt color ſecundus in dignitate.

De Colore azorio.

COLOR autem AZORIUS qui color medius eſt, proximam in dignitate ſedem obtinet poſt colores ſupradictos, & eſt color ab albedine incipiens in nigritudinem degenerans. Eſt etiam celeſtis color propter dominium aeritatis in ſuperficie perſpicui materie pure, & aſſimilatur Saphiro ſecundum quoſdam, aſſimilatur etiam lapidi adamanti ſecundum *Ovidium*, quia lapis ille habet colorem azorium. Et ratio eſt quare *Ovidius* aſſimilat colorem iſtum lapidi adamanti, quia lapis ille ſecundum *Dioſcoridem* eſt lapis reconciliationis & amoris. Et concordat cum eo *Bartholomeus* de proprietatibus rerum libro xvi. capitulo viij. & de ſui natura; hic color eſt maxime indicativus amoris, ut patet per *Ovidium* de arte amandi libro iij. capitulo iij. ubi dicitur.

Palleat omnis amans, hic eſt color aptus amanti. Iſtud etiam

etiam patet in hominibus amoroſis, qui pre amori magnitudine ſpiritus cordis incipiunt evaporare, propter quorum nutrimentum & reſtaurationem natura colorem ab exterioribus ad interiora revocat, & ſic ſuperficiem cuti per ſubtractionem calidi ſanguinis reddit azoriam ſive pallidam. Aliam etiam causam aſſignat magiſter meus *Franciſcus*, aſſimilando colorem azorium ferro, & hoc quia ferro prius deberet Imperator coronari quam cum alio metallo, ut notãt doctores in C. veneral. Extr. de elect. & patet per *Hoſtienſem* in capitulo ſuper quibuſdam, de verborum ſignificatione, & concordat ſpe. titulo ſuo de R. preſent S. ſi. verſu. Item quod ſi ſit autenticum, nam per ferrum deſignatur fortitudo, qua ſcilicet fortitudine precellere debet Imperator omnes homines, qua etiam rebelles & infideles repellere poterit & expugnare. Item adhuc & aliam rationem aſſignat magiſter meus *Franciſcus*, que eſt ita. Color azorius ideo prefertur omnibus coloribus mediis, quia color iſte fuit a Deo miſſus per angelum *Karolo magno*, Regi *Francorum*, tanquam pro ſubjecto & fundamento ſuorum armorum, detulit quidem Angelus Scutum Cum Campo Azorio Et Tribus Floribus Aureis, & ſic ibidem color aureus fuit inferior colori azorio, quia fuit accidentalis & non ſubſtantia. Et ſi velitis ſic Gallice, *Il port d'azour treys flordelys d'ore.* De iſtis patet in Cronicis de *Karolo magno*. Et notatur argumentative ſaltem lxii. d. Adrianus & xxiij. q. vii. hortata. Item habemus quomodo iſte color fuit alior tempore a Deo miſſus, ut patet in *Speculo hiſtoriali ſub rubrica de mirabili nece Juliani lib. xl. c. xliij.* quomodo a morte reſuſcitatus fuit beatus *Mercurius*, cui omnia arma erant neceſſaria, una cum Scuto Azorio Et Cruce Florida Cum Quatuor Rosis Aureis per angelum fuerunt delata, ut idem ipſe *Mercurius* Dei fortitudine & potentia *Julianum* apoſtatam debellaret, quem alta voce clamantem, *vicisti Gallice, vicisti*, antedictus *Mercurius* penitus interfecit. Et ſi velitis arma ſancti *Mercurii* ſunt iſto modo *Gallice* deſcribendo. *Il port d'azour croys floritee & quatuor roſes d'ore.* Ex iſtis breviter concludo quod color azorius inter omnes colores medios & ſubmedios eſt dignior.

De Coloreo aureo.

COLOR autem AURE US eſt color proximus. Sed niſi per domini *Bartholi* dicta motus eſſem, ego dicerem quod color aureus eſſet color infimus. Qui *Bartholus* dicit, quod colores ideo digniores ſunt propter illud quod repreſentant, & ſic propter nobilitatẽ metalli color aureus in ſe eſt melior ſecundũ eum. Et ratio me movens eſt hec. Nam color iſte aureus generatur a colore viliſſimo mundi, ſcilicet ex colore viridi, qui color eſt ſubmedius ut inferius dicam. Et viridis ſcilicet color exiſtens in autumpno in plantis, in yeme mutatur in colorem aureum ſive croceum; quoniam in foliis eſt materia humida multo magis quã materia glauca vel aurea, & groſſa per actionem calidi conſumitur, nec tamen omnino deſtruitur a colore materiam elevante, licet frigus ibi dominetur. Frigus vero dominans in materia mediocri generat colorem medium neceſſario, quia & melius poteſt tranſmutari in humiditatem quam in ſiccitatem, ideo generat ibi colorem medium habentem de colore albo magis quam cujus eſt color aureus. De iſtis eſt commentator ſuper libro *Ariſtotelis* de plantis in fine; & concordat cum eo *Bartholomeus* de proprietatibus rerum, in libro xix. capitulo xi. Et ſi tenueritis opinionem Domini *Bartholi* caveatis de exemplo ab eo ibidem poſito quod eſt de luce, in tractatu ſuo de Armis pingendis, *ni conſiat.* ubi dicitur. *Conſiat autem luce nil clarius vel nobilius*, ut C. de ſumma trinitate & fi. cath. epiſtola inter claras, & C. ne filius pro patre ibi totum mundum illuminat, & propter hujuſmodi nobilitatem nulli licet uti veſtibus aureis, niſi ſolum Principi, ut *C. de veſt. Olob. l.* 1. & 2. quia ipſe dominus *Bartholus* dixit, quod lux fuit de ſubſtantia coloris aurei, & ſic fecit ſimilitudinem inter colorem aureum & lucem. Et ibi corrige *Bartholum*, Nam albedo eſt color ex luce multa & clara in puro perſpicuo generatus. Si vero lux pauca & obſcura fuerit in perſpicuo, nigredo neceſſario generatur. Et iſte eſt ſermo *Ariſtotelis*, & *Averoys*, qui ponunt nigredinem privationem lucis, & albedinem habitum ſive formam; ergo *Bartho-*

lus

lus male aſſimilavit, quia omnis lux aut eſt clara & ſic alba, aut obſcura & ſic nigra, aut eſt multa & magna & ſic alba, aut eſt pauca & ſic nigra, ſi fuerit igitur lux clara & multa in puro perſpicuo ergo albedo generatur. De iſto eſt *Ariſtoteles* 2. de anima, & ſenſu & ſenſato capitulo vij. Item ſicut in medio perſpicuo. Nam terminata preſentia in aiere luminis facit actum lucidum, abſentia vero tenebroſum: Sic enim in corpore terminato preſentia lucis facit terminatum ſive coloratum C. album; Et ejus abſentia nigrum ac tenebroſum. Ita tamen ut non omnino abſit lumen, ut dicitur in libro de ſenſu & ſenſato cap. viij. Item fit generatio colorum mediorum ſecundum ſuas differentias proportionum, & ſic ſuam capiunt dignitatē, ut patet per *Bartholomeum* de proprietatibus rerum libro de conſonanc. libro viij. Item fit generatio colorū mediorum ſecundum colorum principaliū dominationem & proportionem, et quanto ſunt bene proportionate, tanto ſunt delectabiliores, ut dicitur ibidem. Item omnis color medius generatur per albedinem & nigredinem, que nigredo, ut ſupradixi, vocatur aliquando privatio albi, ut obſcuritas eſt privatio lucis: ut dicitur in libro x. Methaphyſice capitulo iij. Et de iſto colore fiebant arma Imperatoria que adhuc ab omnibus Imperatoribus portari debent, ut quiſcumque fuerit Imperator portabit Aquilam Nigram Fiſſam Et Explanatam In Campo Aureo. Sed forſan queritis quare Imperator habebit aureum campum & non alium colorē, cum color aureus non ſit color principalis, & cum ſibi ſerviri debeat de principalibus cum de eo dicatur F. ad l. 1. de jac. l. deprecatio. & de quadr. preſcripc. l. bene a *Zenone, ſicut deus in celis, ita Imperator in terris.* Ad hoc dicatis, quod aurum eſt metallum mitiſſimum, & quia non decet Imperatorem in omnibus ferocem eſſe, ſed in quibuſdam mitem, aſſumpſit ſibi pro attemperamento co'orem aureum. Et tunc quare habet aquilam nigram fiſſam & explanatam, dicatis, quia Imperator non eſſet magis declinans ad unam partem quam ad aliam partem reſpiciens Jurium & armorum, ut *Juſtinianus* in prohemio in principio, ubi habetur, *Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed legibus oportet eſſe armatam.* Et ille color ni-

ger in aquila eſt ſignum ferocitatis ut inferius dicam. Et ideo aſſumpſit ſibi Imperator aquilam nigram. Sed quare portat aquilam, & non leonem vel aliquod aliud animal, dicatis, ut infra de avibus, de aquila, & ibi plene.

De Colore rubio.

Est eciam alius Color, ſcilicet Rubius, qui eſt color medius ab extremis albedinis & nigredinis equedi-ſtans, qui in ſuperficie corporis perſpicui reſultat per incorporationem dati luminis ignei atque puri, ut ſupra-dixi, & ideo intenſe rubium ad modum lucidi diſgregat viſum, non aggregat ſicut nigrū, ut ſupra poſui exemplum de pannorum venditoribus. De iſtis notatur per Com-mentatorem *Averois* in libro de ſenſu & ſenſato: & iſte color attribuitur Principi, ut capitulo de *off.* Com. Sacr. Larg. l. 1. Et ratio eſt quare iſte color potius attribui-tur Principi, quam aliquis alius color, ut albus vel niger, azoreus vel aureus, quia iſte color ſignificat ferocitatem & terrorem. Et Principes in ſuis correctionibus & contra inimicos eſſent feroces ut ſibi obediant, nam iſte color Principi pre ceteris attribuitur. Et quod iſte color ſig-nificat ferocitatem & terrorem, probatur argumento tex-tus inſtitutionum de obligationibus, que ex de naſc. in-terdum, ubi de eo qui cum panno rubio fugavit armenta. Ex quo eciam colore arma fundantur regis *Anglie* Qua-re quiſcumq; fuerit rex *Anglie* pro proprio Portat Tres Leones Peditantes De Auro In Campo Rubio, Et Gallice ſic, *Il port de gowlis tres leones paſſivantes d'or.* Et hec ſunt arma vetera ad regem *Anglie* pertinentia. Sed jam portat iſta Arma cum armis regni *Francie* quarteria-a: Sed de rationibus illud probantibus, & quando in bel-lo captus ſuis propriis poſſit uti Armis in preſentia capien-tis, longum eſſet hic tractare, ſed Deo dante in fine dicam. Sed forſan queritis, quare Rex *Anglie* talia debet Arma portare. Dicatur quod Rex *Anglie* portat primo colorem rubium, quia per colorem rubium repreſentatur ignis, ut ſupradixi. Et *Anglici* dicuntur quaſi *Inglici* vel igne electi.

Sed

Sed de iſta materia non plus ad preſens. Dixi eciam ſupra in Armis Imperatoris de colore aureo dicatis ut ibi. Sed forſan petatis quare portat leones potius quam alia animalia. Ad hoc dicatis ut infra de animalibus in capitulo de leone, ubi dicitur, leonem portare, fortitudinem una cum generoſitate ſignificat: quare concludo, quod licet Regi *Anglie* in Armis ſuis leones libere portare.

Sunt & alii colores qui ſubmedii appellantur, quales ſunt omnes illi colores qui non ex ſolis coloribus fiunt principalibus, ut iſte color viridis, de quo colore multa dicta ſunt, ut ſuprad xi in titulo de colore ſubmedio. Dic ergo quod omnis color ſubmedius eſt nobilior vel vilior ſecundum quod de vilioribus vel melioribus ſit, ſuamque capit eſſentiam & claritatem.

De Animalibus.

SUPRA in parte de coloribus & de eorum differentiis diximus, ex conſequenti ſequitur, ut de ſignis in clipeis depictis aſpiciamus. Et quia inter omnia ſigna mundi digniora ſunt ſigna viventia, ut *F. de verborum ſignificatione l. qui mortui. l. C. de poſt. & hed. li. ij xiij. q. iij. quam poſterum.* Et inter viventia & nobiliora & digniora ſunt illa que ſunt ſexus maſculini, ut *F. de ſenatu lege prima in textu* & vidi ibi. Quare primo dicendum eſt de maſculis animalibus. Et primo in ſpecie intendimus tractare de leone.

De Leone.

LEO enim Grece, latine dicitur rex, quia Rex animalium eſt, ut dicit *Yſodorus li. xij.* & Leoni precipua generoſitas tunc cum colla armoſque veſtiunt jube, ut dicit Plinius in libro viij. capitulo xvi. Item in periculis maxime apparet glorioſus, unde quando proſequitur a canibus & venatoribus non latitat nec ſe occultat, ſed ſedet in campis ubi videri poteſt, & ad defenſionem

ſionem ſeparat. Caveant igitur qui leonem aut leones in armis portant quod contra iſtam naturam leonum non faciant. Quando autem vulneratur mira obſervatione novit primo tangentem ſe, & in multitudine poſitum mirabiliter invadit primum percuſſorem, etſi exinde moriatur. Animal eciam valde gratum eſt, cognoſcens & diligens ſibi benefacientem, ut notat *Plinius* & probat per multa argumenta in libro viij. capitulo xvi. Et dicit *Ariſtoteles*, Leo eſt animal fortiſſimum, eo quod oſſa ejus ſunt ita dura, ut ex eorum collitione per repercuſſionem exit ignis. Hec *Ariſtoteles*, & concordat *Avicenna* cum eo. Cum autem iratus fuerit, alte rugit, ad cujus vocem terrentur animalia, & ſubito ſiſtunt gradum quaſi edictū expectantia Regis ſui, ut dicit *Dioſcorides* de animalibus capitulo xviij. Predam etiam quam capit ſolus comedere erubeſcit, & ideo ſeſe a remotis ſequentibus aliis animalibus de ipſa preda aliquid liberalitatis cauſa relinquit, ut dicit ibidem *Plinius*. Leonem ergo portare ferocitatem una cum generoſitate ſignificat. Cave tamen de colore ipſius leonis in Armis depicti; & dic de ejus colore ut ego ſupradixi de coloribus. Naturam hanc ſcilicet leoninam ſequi ſolet rex *Anglie*, qui tum propter predictas conditiones, tum quia habet leones ſibi & ſuo ſubjectos imperio PORTAT in ſuis Armis TRES LEONES PEDITANTES AUREOS IN CAMPO RUBEO. Et nota hic que ſupradixi de colore aureo in capitulo de colore rubeo, & videtur in capitulo de aquila Romana, quare portat leones aurei coloris & non alterius dic ut ibi, ubi de armis Romani Imperatoris agitur & notatur.

De Leopardo.

LEOPARDUS eſt beſtia ſeviſſima ex liena & pardo per adulterium generata, ut dicit *Yſodorus* libro *xij*. Eſt animal valde preceps & ſitit ſanguinem, colorem habens varium a patre ſcilicet pardo. Sed quomodo poſſum cognoſcere leopardum in pictura a Leone. Dic addendo ad regulas domini *Bartholi* de picturis Armorum, quod Leopardus, ubicumque depingitur, eſt varii coloris habens

pectus

pectus planum ubi leo habet hiſpidum. Alia differentia eſt hec ſecundum quoſdam, quod leo debet depingi cum media facie, & leopardus cum plana facie. Fuge rogo rationem ſompniantium in hac materia, qui ponunt differentiam inter eos in pictura faciei, ſcilicet quod leo debet depingi cum plana facie, & leopardus cum media facie. Nam ſi regula illa eſſet vera, ſequeretur quod leones nullo modo poſſunt depingi rapaces, quod eſt contra iura, ut patet per *l. urſus F. de adquirendo rerũ dominio*, ubi dicitur, quod *animalia depingi debent & deſignari in actu ſuo ferociori.* Sed ſicut eſt de leone ergo &c. concordat *l. 1. F. de poſtul. & beſtius.* Leopardum autem portare, eſt ſignum quod portans, vel ſaltem primo aſſumens, fuerat adulterio genitus. Et nota, quod ſemper habendus reſpectus ad colores, ut ſupradixi, & multũ pertinenter poteſt dici, quod iſti magni Abbates debent portare in Armis ſuis leopardos & mulos Et ratio eſt quare leopardi & muli & cetera animalia per adulterium generata habent inſtrumentum generandi, non tamen habent actum vel exercitium, ſicut abbates habent mitram, baculos paſtorales & cetera inſtrumenta epiſcopalia, non tamen habent exercitium, unde ſcribitur, *Mulus & Abbates ſunt in honore pares.*

De *Pardo.*

PARDUS eſt beſtia velox valde, colore albo orbiculata ut pantera, preceps in ſanguinem, & multociens moritur ſolo ſaltu, Et non differt in colore a pantera, niſi quod pantera habet maculas albiores, ut dicit *Plinius* libro viij. Iſta autem beſtia multum affectat comedere ſimum humanum, & ideo venatores ſuſpendunt ſtercora humana in arboribus, ad que dum aſcendit a venatoribus interficitur. Eſt eciam animal degenerans, quia coit cum leena, ex cujus adulterio generatur l opardus. *Ariſtoles libro viij. de animalibus*, & raptis calculis ſuis eſt magis ſevus in *glo. Oſee 7.* Pardum igitur vel panteram portare eſt ſignum conditionis ſervilis preterite vel omiſſe. Quia vulgariter dicitur, quamvis poma procul ab ra-

bore

bore projiciantur, dant saporem intus de quo ligno generantur, *ut F. de servit. l. ut pomum, & in l. dissimili nimis de ag. & sens. l. & cum satis e titulo, vide* sufficienter per *Bartholum* de ista materia in suo Consilio quod incipit *occurrentia, &c.* Hec de Pardo & Panthera in Armis.

De Cervo.

CErvus, ut dicit *Aristoteles* l. viii. de animalibus, est animal non habens fel, & inter omnia animalia bruta est prudentissimum & valde forte, quia de prudentia sua facit suam Cervam parere juxta viam, ubi animalia propter advenientes homines venire non audent. Item posti partum filiorum suorum ducit eos in quasdam cavernulas que nisi unicum habent introitum, quia ubi potest resistere omnibus bestiis venientibus ad se. Item deprehenditur ejus etas per cornuum ramos, quia annis singulis crescit sibi de novo unus ramus, ut dicit *Ysidorus* in libro xij. Item omni anno vere solent cervi cornua cadere, & tunc inermis est, sed ex sua prudentia & discretione pugnare non affectat quousque crescentibus cornubus suis iterato nova sibi evenerit armatura. De istis est *Ysidorus* in locis prealligatis superius, & concordat Philosophus ut supra. Cervum autem in in armis portare, est signum quod portans, vel saltem primo assumens, fuit pauper in prima etate sua, cujus & substantia de anno in annum crescebat aliquantulum. Apparet eciam quod portans fuit prudens in actibus bellicosis & subtilis, ut scilicet inimicos suos non invaderet sine armis, & sufficienti protectione expectat quousque crescente cornu suo, id est, sua arma habeat.

De

De Apro.

APER ut dicit *Bartholomeus* de proprietatibus rerum, eſt porcus ſilveſtris vel agreſtis, qui valde ſevus & invidus eſt, ut teſtatur *Yſidorus* libro *xij.* capitulo 1. & dicitur aper, quaſi a fari, id eſt, a feritate, quia ſecundum quantitatem ſui corporis ferus eſt & crudelis. Unde etiam apud Grecos afer quaſi ferus nuncupatur. A latinis vero vocatur verres, quia grandes habet vires ſicut dicit *Iſidorus* in loco prius allegato, & concordat *Bartholomeus* de proprietatibus rerum in libro ſuo. Et ſi pictores aliqui ſint vocati ad depingendum invidiam, ſtatim ipſi pingunt hominem ſeipſum gladio interficientem equitantem ſuper aprum & verrem. Eſt itaque aper tante feritatis, quod etiam mortem parvipendens contra venatoris ferrum intrepide ſe ingerit, & multociens venatorem cum fuerit telo transfixus interficit vel occidit, ut teſtatur *Avicenna* in libro ſuo de Origano, quadam herba. Aprum vel verrem in armis portare ſignificat hominem invidum, bellatorem, ſubtilem & fortem, qui mori potius deſiderat quam per fugam vitam ſervare. De iſtis ego plus dicerem, ſed amor Hibernie tacere me compellit.

De Cane.

CANEM in armis portare ſignificat virum benevolum, fidelem bellatorem, qui dominum delerere non proponit neque vita neque morte: & pro domino ſuo morti ſe exponere paratur, ut notat *Bartholomeus* de proprietatibus rerum, capitulo ſuo de cane.

De Dracone.

DRACONEM autem portare magnum ac egregium ſignificat potatorem, quia draco eſt animal maxime ſitiens & ſitibundum, in tantum ut vix poteſt in aqúa ſatiari, & ideo aperit os ſuum ad ventum, ut ſic ſuum extinguat ardorem. De iſtis notatur per *Jeronimum* in libro ſuo de animalibus, in capitulo de leone, & concordat cum eo *Bartholomeus* de proprietatibus rerum libro *xviij.* capitulo *xxxv.*

De Equo.

EQUUM in Armis portare ſignificat virum benevolum ad bellandum pro minima cauſa, quia equi ſolo & medio tube ſono ad bellum excitantur. Significat etiam hominem bene formatum & habentem quatuor proprietates que ſunt hee, forma, pulchritudo, meritum, & color. Forma, ut habeat corpus validum & altum cum longis lateribus ſubſtratis, clunes habens rotundos, pectus late patens & totum corpus denſitate nodoſum. Pulchritudo attenditur, ut habeat exiguum caput cum pelle ſolis oſſibus adherente, aures habens breves & acutas, & oculos habens grandes, cum coma denſa, & cauda curta. Meritum attenditur, ut ſcilicet ſit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris, quod etiam fortitudinis eſt indicium. *Color* etiam in eo ſpectatur, nam color in pilis nunc eſt albus, nunc niger, nunc roſeus, nunc varius, guttatus vel canus & varius color multum decorat. De iſtis eſt *Yſidorus* libro *xij.* & concordat *Bartholomeus* de proprietatibus rerum libro *xviij.* capitulo *xxxvi.* & concordat *Franciſcus & Bartholomeus* de picturis Armorum circa medium, ubi loquitur de equo.

De Urſo.

URsus dicitur ab urgendo, quia fortiter urget ac aſtringit quem apprehendit, ut dicit *Plinius* libro *viij.* capitulo *xxxviij.* Eſt autem animal iracundum & impatiens, & vult ſe vindicare de ſingulis qui eum tangunt: Et ideo ſi aliquem invadentem invaſerit, ſi aliquis interim eum tetigerit, dimittit ſtatim primum & proſequitur ſecundum, & ſi tercius eum leſerit, tam primum quam ſecundum deſerit & mox contra tercium inſurgit, Cujus fortitudo multum viget in brachiis. Et veniens urſus eſuriens mel ab apibus extrahere cupiens, arte cujuſdam mallei ſolet impediri, qui dum pede a ſe malleum proicit, rediens malleus ad ipſum aures tangit, de quo indignatus fortius et fortius a ſe malleum reicit, qui impetuoſius ſtatim urſum ſerit, & tam diu contra truncū ſive malleum inſurgit, quouſque ex frequenti ictu debile quod habet caput deficit & cadere inferius ſuper palos propria ſtultitia ſe occidit. De iſtis eſt *Ariſtoteles* libro *vj.* de animalibus; & concordat *Plinius*, & *Bartholomeus* in capitulo de Urſo. Urſum ergo portare ſignificat fortem bellatorem non tamen prudentem, ut dicit Philoſophus libro *vij.* capitulo *ix.*

Hec exempli cauſſa de beſtiis dixiſſe ſufficiat. De aliis vero animalibus dic ſecundum quod videris eorum proprietates eſſe bonas vel malas. Cum autem videris aliquem petentem arma ſeu inſignia ſibi aſſignari, Cognoſcas primo ejus conditionem. Qua viſa & plenius intellecta da illi ſecundum quod naturale tuum ingenium tibi demonſtravit, ut *F.* ad *l. aquil.* vel illud.

De Avibus.

POstquam ſufficienter diximus de animalibus quadrupedibus, videre neceſſe eſt de avibus; Et primo generaliter dic,, quod ipſi qui aves vel volatilia portant non ſunt ita ſolidi vel ſtabiles ſicut ſunt qui animalia quadrupedia portant.

De Aquila.

AQUILA eſt avis que velut regina inter alias aves optinet principatum ſive dominium. Et eſt avis maxime liberalis, nam predam quam capit non niſi nimia fame arceatur ſola comedit, ſed avibus eam ſequentibus quaſi communem eam ſpargit & exponit, ſua tamen precepta p imitus portione; ſed quando preda prius rapta non ſufficit ſibi, tanquam rex de re publica vivit, ut *C. de jure fiſci* per totum librum, nam avem proximiorem ſibi rapit & in medio illam ponit: Et ideo ſemper aquilam omnes alie aves inſequi ſolent, ſperantes quod de ipſius preda ſic debeat aliqua portio impartiri. Dicit etiam *Plinius* quod heradius & ſimiles aves ipſo die quo audiunt aquilam vix predantur, & hoc forſitan accidit propter timorem. Habet etiam aquila unum pedem clauſum ad modum anſeris, cum quo ſe regit in aquis quando deſcendere ſolet; Alium vero pedem habet diviſum cum acutiſſimis unguibus cum quibus predam rapit, ut dicit *Ariſtoteles* libro *xij*. Ex quibus concludo, quod principaliter decet Romanum Imperatorem in Armis ſuis aquilam portare, qui de facto AQUILAM PORTAT NIGRAM FISSAM ET EXPLANATAM IN CAMPO AUREO. Et de iſta materia dic ut ego dixi ſupra de aquila in capitulo de colore aureo, & in capitulo quod incipit, Color autem niger dic ut ibi.

De

De Accipitre.

ANCIPITREM in armis portare, eſt ſignum quod primo portans fuit gracilis vir, non fortis, ſed animo melius armatus quam corpore. Nam ancipiter eſt avis que plus animo quam ungulis eſt armata. Et quod in quantitate corporis de natura denegatur, hoc ei in virtute, prudentia & animi audacia recompenſatur, ut dicit *Yſidorus*, cum quo concordant *Plinius*, & *Ariſtoteles*.

De Bubone.

BUBO eſt avis multum onerata plumis & gravi detenta pigritia, & die ſemper commorans in cavernis & locis umbroſis, in nocte tamen volitans & rapinam querens, & fortior eſt de nocte quam de die, ut dicit *Ariſtoteles* libro *viij*. & omnibus aliis volucribus hec odio habetur; Templa frequentat nocturno ſilentio, ut de olco, in lampadibus ſatietur; Mures ac veſpertiliones venatur et comedit; De nocte volat, et de die in parietum rimulis ſe abſcondit. Bubonem ergo portare, diffidem & vecordem ad actus bellicoſos demonſtrat, ac de rapina viventem, de quo loquitur textus *C. de effractoribus & expilatoribus eccleſiarū*.

De Columba.

COLUMBA dicta a colore quem in collo habet, & eſt avis manſueta hominis conſortium diligens, vel dicitur columba, quaſi colens lumbos, quia multum exercet actus veneris ut dicit *Yſidorus* in capitulo de Columba. Eſt pacis nuncia & letitie ut patet in Gen. capitulo *viij*. ſimplicitatis forma, natura munda, pietatis emula, ſocietatis amica, injurie immemor invenitur. Et eciam naturaliter timida, raro ſecura niſi in foramine, & eſt valde oblivioſa. Hec *Jeronimus*; & concordat *Ariſtoteles* libro *vj*. Columbam igitur portare, eſt ſignum ſimplicitatis

citatis, & quod portans plus confidit in sociis suis quam in propria fortitudine. Et columbam in Armis habere bene pertinere solet ad Haraldos Armorum qui dimissa arte sua sibi & suis Arma assumunt. Et dicit *Jeronimus in libro iiij.* quod in egroto & in furia instruitur columba ut literarum sit bajula de una provincia in aliam. Cum isto concordat *Bartholomeus* de proprietatibus rerum capitulo *xij.* libro *xij.*

De Cornice.

CORNICULA sive monedulam in Armis portare significat garrulatorem magnum, subdolum et incolis ubi habitat, et se ipsum libenter exaltare volentem; quia cornix est avis garrula et impia, incolis valde nociva, nam aquilam quam tangere formidat garritu et volatu insequitur, sed de sua improbitate non semper lucrum importat, quia post longam aquile dissimulationem, aliquando ab ea cum rostro percutitur multocienſque interficitur, quando ei plus debito ac solito appropinquat. Et talibus loquitur textus in l. omnes *C. de decur.* et in libro *Curiales* eodem titulo.

De Cigno.

CAntores milites sancti vel ad dignitatem exaltati capitulo CIGNUM in Armis portare debent, quia cignus a canendo est dictus, in cujus alis maxima est fortitudo. Quosdam tamen ego vidi cignum in Armis portantes qui Cantores non fuerunt. Interrogavi quoque Regem Haraldorum querens ab eo quare talibus cignum in Armis portare assignavit. Qui mihi respondens duas mihi rationes assignavit, quia fuerunt viri pulcherrimi, et quia habuerunt colla longa. Elige tu ergo rationem meliorem, et dic in isto sicut tuum naturale ingenium te edocuit.

De

De Gallo.

GALLUS eſt avis audax & animoſa, quare contra adverſarios fortiter pugnare ſolet, deinde optenta victoria ſtatim cantat. Hec *Plinius xxix.* libro capitulo *iij.* Gallum autem portare cum criſta ſua ſignum eſt boni & fortis debellatoris, ſed ſi criſta careat, eſt ſignum quod portans criſtam ſuam ſcilicet galeam in bello perdidit, vel quod eſt ſpado, quia caponem gerit. Nam eſt ſignum caponis cum criſta tollitur.

De Merulo.

MERULOS in Armis portare eſt ſignum quod portans effectus eſt nobilis per ſuam fortitudinem; vel ſecundum quoſdam, quia non habet ſubſtantiam magnam in bonis, ſed deeſt ſibi fundamentum, & vivere videtur de perquiſitis & perquirendis. Nam aves ipſe ſcilicet meruli debent depingi ſine pedibus, quia fundamento carent ſeu ſubſtantia. Et tales qui portant hec Arma, in domibus & ſerviciis regum ac aliorum ſunt, & vivunt de gratia dominorum; Et tamen nobiles ſunt. Ex quibus concludo, quod quis non ſolum per copiam divitiarum conſequitur nobilitatem, ſed multociens per alias virtutes, ut ſupradixi, & notatur per *Bartholum C. de dig. li.* 1.

De Piſcibus.

JAm proximum eſt ut de piſcibus dicamus, & primo de lucio.

LUCIUM verum portare ſignificat hominem rapacem ac virorum inferiorum rapacem & oppreſſorem, quia lucius eſt piſcis ipſam proprietatem habens ut minores ſe comedat, ut ſatis ſufficienter notum eſt. Sed hic nota, quod hec regula non eſt ſemper generalis, ſcilicet ut portans tale ſignum vel tale animal eſt talis vel talis conditionis, ſed fallit aliquando

aliquando, ut forte aliquis homo vocatus est *Lucius* & est bonus, & tamen portat in armis lucium. Et sic potest quis aliquando sumere Arma sua a nomine suo vel a patria in qua natus est, ut forte *Cormubicus* assumit sibi cornicem in Armis suis, & tamen non sequitur quod ipse habet conditiones corniceas, ubicumque igitur videris Arma discernenda suppositionem predictam premitte.

De Cancro.

CANCRUM portare est signum quod portans protervus & in tibiis guttosus est. Et sic judica de ceteris piscibus cum ipsos in Armis videris, ut habita ipsorum proprietate eandem conditionem da portanti, observata tamen suppositione que in precedenti regula continetur. Et idem judicandum est de arboribus & herbis si in Armis portentur, quod raro visum est.

De *Crucibus.*

SUfficienter in precedentibus visum est de signis viventibus. Sequitur jam igitur videre de figuris mortuis. Sed quia inter omnia signa mortua dignius est signum crucis cum de ipso signo dicatur *salve crux sancta, arbor digna, &c.* Hinc est quod de ipso signo primo tractare intendimus. Cum istis concordat sacra scriptura ibi, *sola digna tu fuisti*: ipsius signi *xij.* differentie inveniuntur, scilicet,

CRUX PLANA.
CRUX INGRADATA.
CRUX TRUNCATA.
CRUX PATENS.
CRUX FIGITIVA.
CRUX CRUCIATA.
CRUX MOLENDINARIS.
CRUX FLORIDA.
CRUX NODULATA.
CRUX FLORIDA PATENS.
CRUX FLORIDA NODULATA.
CRUX DUPLA PARTITA.

De

De Cruce plana.



CRUX PLANA talis eſt ut ſupra. Et plus dubitatur de iſta cruce quam de omnibus aliis, & propter quandam regulam quam ponit magiſter meus *Franciſcus*, ſcilicet, quod ſemper a cono, ſi conus unus coloris fuerit, eſt incipiendum in diſcretione Armorum, & color ille conalis eſt campus ipſorum Armorum. Que regula eſt ſic intelligenda, ſcilicet, Semper a cono &c. eſt incipiendum; hoc verum eſt ſi color illius coni fuerit major & copioſior color in Armis. Et tunc ſi queratur quomodo portat ſanctus *Georgius*? dic quod ipſe PORTAT CRUCEM PLANAM RUBIAM IN CAMPO ARGENTEO. Sed in ſermone Latino non eſt dubium. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un crois playn de gowl.* Et ſic ſunt omnia Arma diſcernenda qùe habent talem crucem.

De Cruce ingradata.



ISta autem crux ſolet aliquando INGRADARI, ut hic, & tunc ſic debet diſcerni vel deſcribi. PORTAT UNAM CRUCEM RUBEAM INGRADATAM IN CAMPO ARGENTEO. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un crois engraïled de gowl.*

De Cruce truncata.

ITem ſolet hec crux aliquando Truncari, ut hic. Et ſic debet talis crux diſcerni, Portat Unam Crucem Truncatam Rubeam In Campo Argenteo. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un crois recoupy de goul.*

De Cruce patenti.

QUarta differentia ſigni eſt talis que vocatur Crux Patens; que crux in medio minor eſt quam in finibus ſuis, & habet angulos patentes, ut in exemplo hic poſito, & ſic debet diſcerni, Portat Unam Crucem Patentem Rubeam In Campo Aureo. Et Gallice ſic, *Il port d'or une crois paty de goul.*

De Cruce figitiva.



QUinta differentia ſigni crucis eſt Crux Figitiva, ut hic. Et vocatur crux figitiva, quia de facili poteſt talis crux in terram figi. Et ſic debet diſcerni. Portat Unam Crucem Figitivam De Argento In Campo Rubeo. Et Gallice ſic, *Il port de goul une crois fige d'argent.*

De

De Cruce cruciata.

SExta differentia eſt CRUX CRUCIATA, ut hic patet Et vocatur crux cruciata, quia in quolibet fine habet crucem, & ſic debet diſcerni, PORTAT UNAM CRUCEM CRUCIATAM DE RUBEO IN CAMPO AUREO. Et ſic Gallice, *Il port de ore un crois croſlet de goul.*

De Cruce molendinari.

SEptima differentia ſigni crucis eſt CRUX MOLENDINARIS, ut patet hic. Et vocatur molendinaris, quia ſimilis eſt cuidam inſtrumento ferreo in molendino uſitato, quod portat lapidem molarem. Et ſic debet diſcerni, PORTAT UNAM CRUCEM MOLENDINAREM AUREAM IN CAMPO RUBEO. Et Gallice ſic, *Il port de goul un crois moleyne de ore.*

De Cruce florida.

OCtava crux eſt CRUX FLORIDA, ut hic patet, & vocatur crux florida, quia fines ejus aptantur ad modum florum. Talem autem crucem in Armis portans, ſic portare concipitur. PORTAT namque UNAM CRUCÉM FLORIDAM DE NIGRO IN CAMPO AUREO. Et Gallice ſic, *Il port de ore un crois flourte de ſabil.*



De Cruce nodulata.



NOna vero differentia eſt Crux Nodulata, ut hic; & vocatur crux nodulata, & crux fibulata, quia fines ejus aptantur ad modum nodi ſive fibule, & Portat Unam Crucem Nodulatam Nigram In Campo Argenteo. Et Gallice ſic, *Il port de argent un crois botene de ſabill.*

De Cruce florida patenti.



DEcima quoque Crux dicitur Crux Florida Patens, ut hic. E vocatur crux florida patens, quia patens eſt, ut hic, ſed habet in finibus ſuis quaſi florem. Et Portat De Argento Cum Cruce Florida patenti De Rubeo. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un crois pati flourÿ de goul.*

De Cruce florida nodulata.



UNdecima differentia inter Cruces eſt Crux Florida Nodulata, & vocatur crux florida nodulata, quia habet flores in finibus ſuis, & in quolibet puncto cujuſlibet florum habet unum nodum ſive fibulam, & Portat De Argento Cum Sua Cruce Florida Fibulata De Auro. Et Gallice ſic, *Il port d'argent une crois flourte botonne de ore.*

De

De Cruce dupla partita.

DUodecima differentia hujus ſigni eſt CRUX DUPLA *PARTITA*, ut hic patet. Et vocatur Crux dupla partita, quia etſi eſſet partita, adhuc eſſet dupla. Et PORTAT UNAM CRUCEM DUPLAM PARTITAM DE AZOREO IN CAMPO AUREO. Et Gallice ſic, *Il port de ore un crois double party d'azour.*



Et nota, quod iſte cruces non proprie ſigna, ſed differentie ſignorum. Quare dic, quod Rex Haraldorum videns aliquem cupientem portare Arma, ignorans aliquam bonam vel malam conditionem in eo vel proprietatem, debet aſſignare ſibi de crucibus ſupradictis; quam crucem portare ſignat portantem non habere aliquam cauſam vel conditionem, ſecundum quam poſſent ſibi Arma aſſignari, ſed ſignat hominem brutalem.

De Armis quarteriatis.

SUnt alii qui habent ARMA ſua QUARTERIATA PLANA de diverſis coloribus, ut hic patet. Et PORTAT DE AURO ET RUBEO IN CAMPO QUARTERIATO, Et Gallice ſic, *Il port quartelle de ore & de goul.* Et hic nota, quod a colore exeunte in capite Armorum in dextro latere in Armis quarteriatis ſemper eſt incipiendum.



De

De Armis quarteriatis ingradatis.



SUnt & alia ARMA QUARTERIATA INGRADATA, & quomodo Arma poſſunt ingradari vide hic in ſcuto, & vocantur ingradata, quia colores inferuntur gradatim unus in alium, & ſic deſcribitur: PORTAT namque DE ARGENTO ET AZORIO IN CAMPO QUARTERIATO, INGRADATO. Et Gallice ſic, *Il port quarterle engrailed d' argent & azour.*

De Armis quarteriatis irraſis.



SUnt & alia ARMA QUARTERIATA IRRASA, ut hic, Et PORTAT DE ARGENTO ET RUBEO IN CAMPO QUARTERIATO IRRASO. Et Gallice ſic, *Il port quarterle raſee d' argent & goul.*

De Armis quarteriatis indentatis.



SUnt itaque alia ARMA QUARTERIATA ET INDENTATA, ut hic; Sed hic cavendum, quia quedam ſunt Arma INDENTATA, & quedam INBATALLATA. Indentata ſunt ſemper quarteriata, Inbatallata nunquam, ut hic in ſcuto. Et portat ſic qui habet indentata Arma Gallice, *Il port quarterle endenty d' argent & ſabill.* Et qui portat arma inbatallata, ſic portat ut hic in ſcuto, Gallice, *Il port de ore & ſabill enbatelle ut hic.*

De

De Armis palatis.

SUnt eciam quedam ARMA PALATA, ut hic patet, & vocantur palata, quia aptantur ad modum pali, ut in *l. pali F. de verborum ſignificatione, & F. de legi. l. iij l. pali.* ET PORTAT ARMA PALATA DE ARGENTO ET AZOREO, Et Gallice ſic, *Il port pali d argent & aſure.*

De Armis barratis.



SUnt eciam ARMA BARRATA, ut hic. Et vocantur arma barrata, quia aptantur ad modum barrarum, Et quid eſt barra dicetur inferius. Et Gallice ſic, *Il port barry d'argent & ſabill*, ut hic depingitur.

De Armis inangulatis.



SUnt inſuper quedam ARMA INANGULATA quaſi contrario modo angulata, ut conus contra conum in medio. ET PORTAT ARMA INANGULATA DE ARGENTO ET RUBEO, &t Gallice ſic, *Il port d'argent & goul* Jerconis, & dicitur Jerconis quaſi conus contra conum.

De

De *Armis bandariis.*

SUnt eciam ARMA que vocantur BANDARIA, ut hic. Et vocantur bandaria, quia ſunt facta quaſi de bandis ut hic depingitur, & PORTANT ARMA BANDARIA DE AURO ET AZOR. Et Gallice ſic, *Il port bendy de or & azour.*

ET nota, quod filius deſiderans portare colorem campi tam armorum paternorum quam maternorum, eligere debet de iſtis octo differentiis ſupra notatis. Et ſi velit poteſt portare ipſos colores in Armis quarteriatis planis, & in armis ingradatis quarteriatis, vel in quarteriatis invectis, & in armis pallcatis, barratis, inangulatis, vel bandariis, ut ſupra.

ESt eciam aliud differentie ſignum quod laicis attribuitur, ſcilicet SIGNUM CAPITALE. Et tale ſignum capitale ſignificat quod portans primo ipſa Arma aſſumpſit; Et ſi filius ejus habuerit patrimonium augmentatum, poſſit ſibi aſſumere ſignum aliud capitale ut ſequitur.

SEd ſi aliquis dominus eccleſiaſticus non habens arma, ſed a Rege Haraldorū petens ſibi arma aſſignari, tunc poteſt ipſe Rex Haraldorum dare ſibi duo talia ſigna capitalia, vel tria ad maximum

maximum; quia patrimonium domini eccleſiaſtici quamvis fuerit augmentatum, non tranſit ad heredes ſed ad ſucceſſores, & mortuo illo domino moriuntur & ejus Arma ſeu inſignia. Predicta tamen intellige de armis propriis eccleſiaſticorum dominorum; ſecus eſt de armis ad eccleſiam ſolam pertinentibus. Ex predictis collige differentiam inter heredes & ſucceſſores. Heredes arma portantes poſſunt ſua arma majorare vel minorare cum concilio Regis Haraldorum, ſecundum quod eorum ſubſtantia creſcit ac diminuitur. Sed ſucceſſores eadem Arma portare debent que a ſuis anteceſſoribus erant apportata non augmentando nec diminuendo, ut patet in abbatibus, epiſcopis & aliis. Et ratio eſt, quia heredes portant arma ſuorum parentum, Epiſcopi vero & Abbates portant Arma ſuarum eccleſiarum. Quare dic, quod ſi heres laicus habuit duo ſigna capitalia in ſuis Armis cum ſubſtantia diminuta ſeu minorata, poteſt demere unum ſignum ipſorum duorum, non ita poteſt dominus eccleſiaſticus facere. Et econtra ſi pater alicujus portaverit unum ſignum capitale, & poſtea heres ejus inventus eſt pinguior in bonis & in ſubſtantia quam fuit ejus pater, ut ut per maritagium, vel per fortitudinem, poteſt aſſumere ſibi aliud ſignum capitale. Item il a ſigna ſunt iſto modo Gallice deſcribenda; *Il port d'argent un chevern de ſabill*, vel ſic, *Il port de ſabill ij. cheverons d'argent.* ut ſupra patet.





ITem iſta CAPITALIA SIGNA ſunt aliquando TRANSPOSITA, ut hic, & tunc dic quod portans perdit ſubſtantie ſue partem; ſed tamen eſt in ſpe recuperandi ipſam partem amiſſam; non propones illud ſignum in toto demere, ſed illud ſignum portat tranſpoſi um, ut hic. Et qui talia Arma portat ſic Gallice portat, *Il port d'argent ij. cheverons tranſpoſis.* Et hic cave de opinione eorum qui dicunt hoc ſignum ſupradictum eſſe PSALTERIUM, Gallice *un ſauter*; nam opinionem illam ego non approbo, quia pro eo fundamento non invenio rationē.

SUnt eciam inſuper qui portant ARMA PILATA, ut hic, quia in illis formantur & pinguntur quedam pile ut patet, & ſic PORTAT TRES PILAS DE NIGRO IN CAMPO AUREO, & Gallice ſic, *Il port de ore trois pilis de ſabill.* Et tales pilas portare ſignificat quod portans ſuam adquiſivit ſubſtantiam ſolo labore, vel per ſuum laborem dives effectus eſt, quia tales pile ſignificant laborem. Et ubicunque tres pilas inveneris ſine aliquibus differentiis aliis, dic quod ille qui eas portat vel ſuus anteceſſor laborarius erat. Sed ille pile ſemper ſunt nigri coloris vel blodii.



SUnt & alia ARMA que portantur que dicuntur ARTOCRIATA, & ſunt rotunda ad modum pile, ſed ſunt de argento, ut hic, & PORTAT TRES ARTOCOPAS DE ARGENTO IN CAMPO RUBEO, Gallice ſic, *Il port de goul trois tortens d'argent.* Sunt

SUnt etiam Arma cum ſeruſis que aptantur ad modum pile, ſed ſemper ſunt rubei quaſi ſeruſa, & PORTAT DE AURO CUM TRIBUS SERUSIS; Gallice, *Il port de ore cum troys ſeruſe vel tribus ſeruſis*, ut hic.



ET nota quod cujuſcunque coloris fuerint, ſi tamen rotunde fuerint & ſolide, & dico ſolide quia ſunt certa ſigna rotunda que non ſunt ſolida, ut ſunt anuli, ut patet hic. Et qui iſta ſigna portat ſignum eſt quod fidelis eſt & beneficii recepti memor, & non obliviosus, quod ſcribitur *Annulo fidei, ſubarravit me &c.* Et Moſes Anulum memorie tradidit uxori ſue; & qui iſta Arma portat, PORTAT SEX ANULOS AUREOS IN CAMPO RUBEO. Et Gallice ſic, *Il port de gowlis & vj. annulets de ore.* Si vero ipſa ſigna rotunda fuerit & ſolida & aurea, tunc non ſunt pile, ſed TALENTA vocantur, Gallice *beſaunts*, ut hic in ſcuto ſequenti depingitur, Et qui hec Arma portaverit, ſic portare videtur, PORTAT DE RUBEO CUM TRIBUS TALENTIS AURI: & nota quod hic non eſt neceſſarium dicere colorem in talentis, quia ſi non ſunt aurei coloris talenta non ſunt. Et Gallice ſic, *Il port de goul & trois beſaunts.* Ex predictis collige differentiam inter pilas, muas, talenta & maculas, artocopos vel ſeruſa; quia ſecundum diverſos nomina poſtulant: ſunt autem omnium colorum pile preterquam aurei coloris, ac rotunde & ſolide, & vocantur Gallice peletts, mue vel talenta ſunt etiam ſimilia pilis, ſed ſemper ſunt aurea ut ſupradxi.





MAcule vero ſunt ſemper ſolide. nunquam vero rotunde, ut hic in ſcuto. Et qui hec Arma portaverit, ſignum eſt quod primo ea aſſumens fuit piſcarius, & ſic deſcribuntur; PORTAT DE NIGRO CUM TRIBUS MACULIS ARGENTEIS. Et Gallice ſic, *Il port de ſabill & trois maſcles d'argent.*

SEd in iſtis ceiam cave de ſtellis; ſed ſtellarum notitiam habere potes per radios tortuoſos, ut hic ſequitur, & PORTAT DE RUBEO CUM UNA STELLA DE AURO. Et Gallice ſic, *Il port de goul & une eſtoil de ore.* Et nota quod iſta non ſunt proprie ſigna, ſed differentie ſignorum, ut ſupradixi.



SUnt eciam labelle in Armis quorundam, & ille ſemper ſunt differentie ſignorum, ut hic patet. Et qui hec Arma portat, ſic portat breviter, PORTAT AUTEM DE AURO CUM TRIBUS PILIS RUBEIS CUM UNA LABELLA DE AZORIO. Et Gallice ſic, *Il port de ore trois peletts de goul & un labell de azour.*

PRo quibus labellis antedictis eſt diligenter advertendum, vel quomodolibet advertendum, quod primus heres portabit integra Arma paterna, & durante vita ſui patris aliqua modica cruce vel parva differentia uti debet; Poſt mortem vero patris integra Arma ſui patris portabit. Secundus vero filius portabit Arma patris ſui integra cum una la-

labella, que labella tres habet pendulas, Gallice ***Pendaunts***, ut patet in Armis proximo preteritis. Et ratio eſt, quare potius habet tres pendulas quam quatuor vel quinque, unam vel duas, quia per primam pendulã ſignificatur pater ejus, per ſecundum vero ſignificatur primus & heres, per terciam ſignificatur primus aſſumens poſt heredem, quia eſt frater ſecundus. Si vero fuerint in Armis quatuor tales pendule, dic quod portans fuit filius tercius. Si vero fuerint quinque, dic quia fuit quartus frater qui illa Arma portavit, & ſic de ceteris. Tamen his diebus Reges Armorum ad libitum dant differentias armorum. Et generaliter nota, quod differentie ſignorum ut cruces, labelle, & cetere non pinguntur ultra numerum decennarium. Et ſi in majori numero pingantur, tunc eſt ibi pulveriſatio, ut hic. Et hoc multocies contingit de cruce cruciata ut hic, & PORTAT DE RUBEO CAMPO PULVERISATO CUM CRUCIBUS CRUCIATIS DE AURO.

SUnt inſuper alii qui flores portant arborum, ut hic, & PORTAT DE AZORIO CUM TRIBUS FLORIBUS AUREIS. Et dic quod portare flores eſt ſignum inſtabilitatis, ut roſas & tales, quia non ſunt per annum duraturi, nec per totum annum permanent. Merito ergo fuerunt hec Arma predicta ad Regem *Francie* a deo miſſa, quia ut credo cum deus ipſa Arma miſit, per Angelum deferrens, per ea inconſtantiam & inſtabilitatem in *Francia* illis temporibus eſſe mon

monſtravit & ſimiliter in diebus ſeminavit. Hec Franciſcus de terra ſua loquitur.



SUnt inſuper & alii domini qui fuſulos portant, ut hic. Et dic quod ipſa Arma ſumpſerunt ſuam originem ab aliquo textore ut ergo credo, quia fuſuli ſunt inſtrumenta ad textores pertinentia, & ſic videtur portare qui hec arma portat, PORTAT autem TRES FUSILOS RUBEOS IN CAMPO ARGENTEO. Et Gallice ſic, *Il port d'argent trois fiſillis de goul.*



SUnt & alii qui portant lodiſyngos, & ſunt breviores quam fuſuli vel fuſilli, ut ſunt hic, & ſunt lodiſyngi quaſi ſcaccaria angulatim verſa. Et hic PORTAT DE ARGENTO CUM SEX LODOSYNGIS DE RUBEO, Gallice, *Il port d'argent ſeth loſynges de goul.* Et nota quod poſſunt perforari tam lodiſyngi quam fuſuli, & ſic de aliis pluribus.

SUnt inſuper aliqui qui habent ARMA UNDOSA DE RUBEO ET AURO, & Gallice ſic, *Il port de goul & ore undiz.* Vocantur autem undoſa Arma, quia fiunt ad ſimilitudinem aque currentis.

Sunt

SUnt & alii qui portant de coloribus invectis barratis ut ſunt Arma que inferius depinguntur; Et Gallice ſic portat, *Il port de ſabill & argent in verre barrey.* Et vocantur Arma barrata invecta quia ſunt barrata cum diverſis coloribus in ipſis barris invectis, ut hic patet. Et dicuntur barrata quia appropriantur ad modum barrarum.

SUnt & alii qui habent Arma duplicata ut inferius patebit. Et nota quod quis poteſt duplicare, triplicare vel quatriplicare Arma ſua ſecundum quod ſibi placuerit; ut, ſi pater ejus portaverit Arma patris ſui una cum Armis matris ſue, & filius ejus deſiderans portare etiam arma matris ſue, poteſt & tunc portare illa duplicata que fuerunt patris ſui una cum Armis matris ſue, & ſic Arma erunt triplicata ut ſupra patet, & portat Arma paterna & materna; Et Gallice ſic, *Il port de pere & mere.* Et tunc eſt deſcendendum ad partes, & primo ad ipſa Arma que ponuntur in dextra parte Armorum vel ſcuti &c. Vel poteſt quis portare Arma dupla quarteriatim, & tunc integra Arma in quolibet quarterio depingenda ſunt, ut hic, in Armis Regis *Anglie*, qui PORTAT ARMA ANGLIE CUM ARMIS FRÂNCIE QUARTERIATIM; Et Gallice ſic, *Il port quarterli d'Englitere & de Fraunce.* Et tunc eſt a l partes deſcendendum ut dixi ſupra, & primo ad dextram partem capitis ſcuti.



Sunt



SUnt eciam alii qui portant unum ſcutum intra reliquum, ut hic depingitur. Et dic quod qui hec Arma portat taliter portat, *Il port daſour & de ore barry paly reconus & un faus ſcochyn de argent.*



ET hic cave de Armis borduratis ſive fimbriatis ut in ſcuto ſequenti ſignatur. Et ne timeas dicere quod talia Arma ſunt bordurata ſive fimbriata, ſi color ipſius bordure fuerit ſequens per totum, Et PORTAT UNAM CRUCEM INGRADATAM DE NIGRO IN CAMPO AUREO CUM UNO *Borduro* DE RUBEO COLORE; Et Gallice ſic, *Il port de ore un crois engrayled de ſabell & un bordur de goul*; Vel poteſt bordura eſſe pulveriſata, ut hic, Et PORTAT LEONEM RAPACEM RUBEUM IN CAMPO ARGENTEO CUM UNO BORDURO DE NIGRO PULVERISATO CUM TALENTIS AUREIS. Et Gallice ſic, *Il port de d'argent un leoun rampand & un bordur de ſabill beſaunt.*

SUnt & alii qui habent Arma cum bordura ingradata, ut hic, Et PORTAT DE NIGRO CUM TRIBUS MACULIS ET UNA BORDURA INGRADATA DE AURO; Et Gallice ſic, *Il port de ſabil trois moletts & un bordure engreiled de ore.* Et cave hic ſemper de illis Armis que habent aliqua Arma intra ſe, ut dixi ſupra. Et potes ea facillime cognoſcere, quia ſcutum exterius eſt de pluribus coloribus diverſimode, poſtea ut patet.

Sunt

SUnt eciam alii qui ſignum baſtardie portant. Et tales portant Arma parentum ſuorum integra cum quadam benda ex tranſverſo, ita tamen quod ipſa benda incipiat in dextra parte Armorum, & protrahatur verſus angulum alium, ut hic patet, Et PORTAT DE ARGENTO CUM DUOBUS FISULIS DE NIGRO CUM UNA BENDA DE RUBEO. Et Gallice ſic, *Il port de argent deux fuſills de ſabill & un bende de gouls.*

VEl poteſt baſtardus portare ſcutum de alio co'ore cum Armis patris ſui inſuper dicta benda, ut hic ſignificatur. Et qui hec Arma portat ſic portare dinoſcitur; PORTAT namque DE AURO CUM UNA BENDA DE NIGRO, CUM TRIBUS AQUILIS DE ARGENTO. Et Gallice ſic, *Il port de ore un bende de ſabill & treis eglis in ſe memes.* Et hic collige differentiam inter bendam, barram, barrulam, & fiſſuram. De benda dictum eſt ſupra.

BArra eſt illa que ex tranſverſo ducitur, & eſt majoris latitudinis quam ſunt barrule, ut hic, patet de barra. Et PORTAT UNAM BARRAM NIGRAM IN CAMPO AUREO. Et Gallice ſic, *Il port de ore un bar de ſabill.*





SUnt barrule que multociens depinguntur cum barris, ut hic, Et PORTAT DE ARGENTO CUM UNA BARRA ET DUABUS BARRULIS. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un bar & deux barreletts de ſabill.*

FIſſura eſt illa que incipit a ſiniſtris ipſius ſcuti & protrahitur verſus dexteram, ut hic, Et PORTAT DE RUBEO CUM UNA FISSURA DE ARGENTO. Et Gallice ſic, *Il port de ſabill un fers d'argent.*



HEc ſiſſura aliquando invenitur ingradata, ut hic. Et eodem modo poſſunt bende & barre ingradari, ſed nunque barrule. Et PORTAT DE AURO CUM UNA FISSURA INGRADATA DE ARGENTO. Et Gallice ſic, *Il port de ore un fers engrailed d'argent.*



SUnt & alii qui fontes portant ut hic, vel talia ſigna que deſignant prudentiam. Et tunc in illis dic, quod Arma fuerunt portantibus aſſignata propter ſuam prudentiam, ut ſufficienter patet per ea que dixi in precedentibus. Et ſic PORTAT SEX FONTES DE ARGENTO IN CAMPO NIGRO. Et Gallice ſic, *Il port de ſabill ſex fonteyns d'argent.*

Sunt

SUnt ergo alii qui portant unã fret-tam, ut hic. Et PORTAT DE RUBEO CUM UNA FRETTA DE AURO. Et Gallice ſic, *Il port de goul une frette de ore.*

SUnt & alii qui portant in armis ſuis animalia reciſſa, ut hic, & ſunt ſpecialiter leones. Et dic quod qui portat talia Arma, ſic portat. PORTAT namque DE ARGENTO CUM LEONE RAPACI RECISSO DE NIGRO. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un lion rampand recoupe de ſabill.* Et aliquando portatur tale animal reciſſum, habens tamen ambas partes corporis, ſed diverſi coloris, ut hic ſequitur. Et PORTAT DE ARGENTO CUM LEONE RAPACI PARTITO RECISSO DE NIGRO ET RUBEO. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un lion rampand de ſabill & goul recoupi party.*

SUnt & alii qui portant capita animalium plana, ut hic. Et ſic portat; PORRAT namque DE ARGENTO CUM CAPITE LEONIS PLANE. Et Gallice ſic, *Il port d'argent un tet de lion plain.*

SUnt & alii qui portant capita irraſa Animalium, & PORTAT DE ARGENTO CUM CAPITE IRRASO LEONIS DE NIGRO. Et Gallice ſic, *Il port de goul & un tet de lion raſe.* Et nota quod diximus hic de capite Leonis, habet locum & in aliorum animalium capitibus, ut equinis,

taurinis, bovinis, urſinis, leopardinis, & caninis. Et idem poteſt fieri de capitibus avium, ut de capitibus gallorum, picarum, pavonum, & ſimilium.

SUnt inſuper alii qui portant ſigna creſcentis lune, ut hic. Et PORTAT DE ARGENTO CUM TRIBUS CRESCENTIBUS DE NIGRO. Et Gallice ſic, *Il port d'argent & trois creſſaunts de ſabil.*

SUnt inſuper alii qui habent Arma barrata tortuoſa acuta. Et Gallice ſic deſcribuntur. *Il port d'argent & ſabill danſete.*

SUnt & alii qui habent Arma ſcaccariſata, ut ſunt iſta que hic depingũtur. Et PORTAT DE AZORIO ET AUREO SCACCARIATIM. Et Gallice ſic, *Il port de azour & ore ſheccute.*

ET hic cave de illa regula, quam ſupra poſui, ſcilicet de inchoatione, ubi Arma diverſi colori, in fine ſive in cono in deſignatione inchoanda ſunt, de qua materia dic ut dixi ſupra de cruce plana. Cave eciam de Armis domini *Bartholi*, qui ut aſſerit in tractatu ſuo de armis pingendis, paulo poſt principium, quod Rex *Boemie* conceſſit ſibi & ceteri, de agnatione ſua LEONEM RUBEUM CUM DUABUS CAUDIS IN CAMPO AUREO, ut hic. Cujus dictum ego non approbo, quia contra naturam eſt, ut unum animal haberet

haberet duas caudas. Sed dic quod ille PORTAVIT LEONEM RUBEUM CUM CAUDA BIFURCATA IN CAMPO AUREO. Et Et Gallice ſic, *Il port de ore un lion fourche de goul.* Et dicitur *fourche*, quia furcatur. Et nota quod plures ſunt modi Leonum in armis. Sunt enim LEONES SALTANTES, JACENTES, SEDENTES, RAPACES. Et Gallice ſic, *Un Leon ſaliant, un Leon ſeiant, un Leon couchant, & un Leon rampant.*

SUnt inſuper alii qui habent arma ſkaccariata bendaria, ut hic, Et PORTAT ARMA SKACCARIATA DE RUBEO ET AROENTO. Et Gallice ſic, *Il port checute bende de goulis & argent.*

SUnt adhuc & alii qui portant crucem aliam, que quidem crux vocatur CRUX FURCATA, quam crucem vidi portari a quodam Anglico qui vocabatur *Johannes Veſcy*, & fuit magnus in temporibus ſuis, qui Gallice ſic portavit, *Il port de goul un crois furche d'argent.* Ulterius namque ſubtiliter eſt diſtinguendum de iſto termino tres vel tria, ut forte aliquis PORTAT TRES CORONAS RUBEAS IN CAMPO ARGENTEO, ut hic. Et nota, quod ſi ipſe tres corone ponantur triangulatim in ſcuto, ut hic, non eſt dubium quin ſufficiat iſto modo dicere Gallice, *Il port de argent trois corones de goulis.* Sed quidem ſi ponantur TALES CORONE PALATIM, ut hic in ſcuto, nunquid ſufficit dicere quod talis portat tres coronas de auro in campo





po rubeo? Dic quod non; nam ex hoc pictor vel aliquis audiens non reportabit sufficientem eruditionem. Sed sic est dicendum, videlicet quod talis portat tres coronas ad modum pali ut ibi. Et idem est dicendum de armis istis in quibus ponuntur tres corone barratim ut patet. Et sic portat Gallice, *Il port de argent & trois coronns barrey*, vel secundum quod est in scuto.

Preterea quer., quis potest dare Arma? & dic quod Rex, Princeps, rex Armorum, vel haraldus, ut dicit *Bartholus*. Item quero, quare Arma fuerunt inventa? Dic ac cognoscendum unum hominem ab alio. *v. C. de ingenuis in l. ad recognoscend.* Notabis etiam, quod unus homo non potest assumere alterius arma in eodem regno, sicut nec unus notarius signum alterius *F. ad legem Corneliam de falsis l. eos in fine*. Et de istis est dominus *Bartholus* & *Franciscus* in tractatu suo de Armis. Item si queratur, quomodo possum cognoscere dexteram partem seu dexterum latus armorum vel sinistrum? Dic imagineris te esse retro illa arma, & quod essent supra pectus tuum ante te, & sic potes cognoscere dextrum latus a sinistro, & consimiliter, cum videris arma supra lectum vel in celatura supra caput tuum.



Item nota, quando portans Arma debet dishonorari propter proditionem, fugam vel fidem ruptam, tunc arma sua sunt pingenda per transversum, ut hic; quia fides hosti servanda est de jure civili & Armorum. Et causa est scribenda propter

propter quam verſa ſunt Arma, quia ſine cauſa neminem audit Pretor, & idem eſt in falſariis, ſcilicet quia cauſa eorum in frontibus eorum ſcribenda eſt. Et hec de Armis & Inſigniis dixiſſe ſufficiant.

FINIS.